



Hermannus Pasiphilus à teneris annis operam literis dedit, atque in primis bonis artibus & studio Poëticas incubuit. Itaque cum ingenio fœlici esset præditus, plurimum in ijs profecit, atque uiris doctissimis connumeratus fuit. Eo autem tempore, quo Euangelij doctrina per Lutherum publicabatur, Hermannus Basileæ degebat, atque suis scriptis Catholicis, qui dicuntur, uehementer aduersabatur. Sylium quoque Italicum atque Persij Satyras annotationibus declarauit, atque Plautinas decimationes publicauit. Pari ratione Martialis primum librum exposuit, atque obſcœna eius carmina reiecit. Methodum quoque Donati octo partium orationis luculentissimo commentario illustrauit, atque tandem de singulari authoritate ueteris & noui Instrumenti, sacrorum ecclesiasticorumq; testimoniorum farraginem composuit. Artem insuper memoratiuam scripsit, & multa soluta atq; ligata oratione ædidit. Cum hoc modo bonis studijs iuuandis pergeret, atque Erasmo Roterodamo familiarissimus esset, omnibus doctis innotuit, & magnam sibi gratiam conciliauit. Erasmus in Epist. & Con. Geff.